

δ) Haud semper in deliberando Pastor sistat, Scriptura dicente: *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas*¹. Enimvero, quamvis consideratio in deliberatione necessaria sit, attamen nil aliud quam actionis exordium mediumque ipsa est, et ut tandem aliquando Pastor, impleat quod intellexit necesse est: etenim si moderata cunctatio bona, nimia vero mala. Aptum, enim, tempus immaturos fructus ad maturitatem adducere, nimium vero et maturos corrumpere consuevit. *In desideriis est omnis otiosus*², et *qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet*³. Interdum vero [at raro tamen] audentes fortuna iuvat.

100. — At haec omnia, si dictu facilia, adeo actu profecto difficilia, ut peculiari absque indolis ac temperamenti aequilibrio ac constitutione, [Divina adiuvante Gratia] haud perfici possint. Haec igitur [quod per se patet] cuncta quae ad paroeciam conferunt prudenter caritative disponere possit, enixe a bono Pastore cum Salomone invocanda: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam...; mitte illam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te... Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum iuste, et ero dignus sedium Patris mei*⁴.

Articulus V.

DE PECULIARI PRUDENTIAE PRAXI.

Illam quam peculiarem prudentiae praxim dicere perplacet, in discretionis cultu, ac in regiminis suavitate cum eius fortitudine coniunctione continetur, de quibus quaedam, ad pastorem rem aptiora, recolere nostri est.

1) De Pastoris discretionem.

§ I. De eius in pastoralis regimine necessitate, obiecto ac ratione.

SUMMAE RERUM. — 101. Quae et quanta pastoralis in regimine discretionis necessitas sit. — 102. Normae ad rem indigitantur. — 103. Peculiare eius obiectum recolitur. — 104. De peculiari discretionis praxi. — 105. Conclusio.

101. — Uti in pastoralis regiminis arte accipitur, idem ac linguae et, praesertim, secretorum custodia discretio est, quae quanti in re momenti sint, ex ipsa regiminis indole effluit, cuius opportuno in

¹ Eccles. VII, 13.

² Prov. XXI, 26.

³ Id. XIV, 23.

⁴ Sap. IX, 24.

tempore omnia peragi est; quod sane ille qui quidquid scit promit omnino posthabet. At omnis bonae gubernationis inimicum linguae relaxare habenas est, quo innumera gravissimaque mala comparantur. Etenim ab eo cui nihil tuto credi potest, qui consilia in fronte et manibus ferat quid speres? Nemo loquaci huic tuto quidquam credit. Hinc neque solida amicitia stabit, politica agendi ratio, detractiones, curiositatesque hinc, quae, dum caritatis ac prudentiae tot impedimenta sunt, et tot regiminis detrimenta extant. *Qui inconsideratus est ad loquendum sentiet malum*¹, et, e contrario, *qui moderatur sermones suos doctus et prudens est, pretiosi spiritus vir eruditus*². Sed et alia Sapientiae monita attente consideret Pastor: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem....*³, *sint pauci sermones tui*⁴, *in ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum*⁵; *qui custodit linguam, custodit ab angustiis animam suam*⁶; *qui denudat arcana amici fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum*⁷. Praecipitationis, igitur, verba ne diligat Pastor, immo adeo ipsa devitet ut cum Propheta canat: *secretum meum mihi, secretum meum mihi*⁸. — Quod si propria omnibus revelare stolidum, aliena vero [sub religiose servanda condicione accepta] quibuscumque sint pandere, adeo sacrilegum ut vix credibile appareat. Pastor, igitur, prudens arctam ori suo custodiam imponat, et adeo discretionis signaculum sua super labia statuatur, ut lingua e dentium septis et labiorum propugnaculis [quibus a natura duplici est circumdata vallo] evagare haud possit. Neque in secretorum revelatione subtiles nimis casuisticorum distinctiones afferri possunt quae, quamvis apud Deum forsitan iustificent, apud subditos tamen quam maxime nocent, quorum secretorum tam magna a Pastore debetur reverentia, ut nemini [nec verbusculis vel reticentiis] ea pandere ullo modo ullaque ratione liceat. Tunc, enim, tantum in Pastore subditi se plene fidunt, cum inviolabili eius cordis arcae, secreta sua committere persuasum habeant. Nulla, igitur, in re epikeia, exceptio nulla sit. *Qui inconsideratus est ad loquendum sentiet malum*⁹; *gloriosi ducis est commissa sibi signa servare*¹⁰.

102. — Normas ad rem indigitamus quae huius fidei consequentiae perspicuntur:

a) Parca ex fidelium ore secretorum susceptio, qua ante-

¹ Prov. XII, 3.

² Id. XVII, 37.

³ Eccles. V, 3.

⁴ Id. V, 1.

⁵ Id. XXI, 29.

⁶ Prov. XII, 3.

⁷ Eccli. XXVII, 17.

⁸ Isaia, XXIV, 16.

⁹ Prov. XII, 3.

¹⁰ S. Cyprian. Epist. 73.

quam ea recipiantur, tum personae, tum circumstantiae perpenduntur. Nec nimia, nec nimis pauca secreta revelata a subditis Pastor habeat; nam nimia periculos, nulla vero in eum diffidentiam ostendunt. Quorum, igitur, circumstantiae vel munus sponte exhibeant contentus, alia ne de facili exquirat ipse. Secreta, enim, thesauro in vasis fictilibus contento similia sunt, quae si quis facile portat in via, praedonibus subiacet. Quidquid sit hoc certum sit: si etsi inconsiderate a quodam secretum Pastor acceperit, pereat mundus, at promissam fidem ipse servet: regale, enim, verbum eum habere decet.

b) Maiorum Praelatorum arcana ne inquirat Pastor, quod quam maxime periculosum; grave, enim, pondus eorum secreta sunt, quae et gaudent ignorari, tegi volunt, et indignantur sciri; noxiam hanc, igitur, curiositatem nocituramque cognitionem devitet. — Commissorum sibi vero ab Ordinario tenacissimus custos Pastor sit, illius ab Archangelo dato Tobiae moniti memor: *sacramentum regis abscondere bonum est*¹. Adeo nullo, igitur, in pectore, nec consilii, nec auxilii caussa, commissa sibi deponat, ut quae percepit, potiusquam in alveum, in puteum Episcopus deiecisse videatur.

103. — Huius vero discretionis obiectum in Pastore his redit:

a) Fidelium culpa ac familiaritates uti omnino sacrae a Pastore habeantur: primas, enim, pandere si sub sacramentali sigillo cadant sacrilegum, si sub prudentiali tantum iniustum; alteras vero manifestare prodicionem sapit, monente Scriptura: *qui ambulat fraudulentè revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*².

b) Scripta omnia sedulo custodienda sunt, quum omnes [plus minusve] curiositatis tentationi subiaceant. Ne, igitur, Pastoris scripta a curiosis forte praelegantur, eorumque arcana paroeciae fabula extent, cubiculum ac litterariam tabulam [bureau] exquisitoribus obseranda sunt clavibus, quas secum semper deferre, nec de facili cuiquam committere praestat: *ubi manus multae sunt claude*³ Sapiens monet....

III) In publicis quae ad fideles habuerit concionibus de privato cognitis nulla, neque indirecta, mentio a Pastore fiat. Peculiaribus idcirco devenire casibus prudentia vetat, et de hoc plura infra⁴.

a) Pastoris conversatio cum omnibus adeo cauta sit ut *tacenda ne proferat*⁵. Idcirco, *cum Rector ad loquendum se preparat, sub quanto*

¹ XII, 7.

² Prov. XI, 13.

³ Eccles. XXVII, 17.

⁴ Cfr. indic. alphabetic., *Concio, Sermones*.

⁵ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.* P. II Cap. 2.

*cautelae studio loquatur attendat*¹. In privatis, igitur, colloquiis quidquid de Titio tenes, Sempronio ne manifestes; nam si aliquem laudaveris, sive quia tibi tantum acceptus ab audiente exaltabitur, vel invidiae iaculos ipsum contra caeteri acuent; quo et illud fiet ut quem magni facis, tuae benevolentiae poenam ipse primum luat. Si vero contra illum obloqueris, caritatem laedes, et quamvis dignus, uti tibi ingratus [omnino iniuste] ab adulatoribus humiliabitur: idcirco et *cum amico adeo loquaris ut codicillos scriberes*², *Sicut urbs patens* [monet Sapiens] *et absque murorum ambitu...*, *ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*³. *Indisciplinatae*, igitur, *loquela ne assuescat os tuum*⁴, sed, e contrario, velox ad audiendum, tardus ad loquendum sis. Potiusquam vero vendere [singulis attende quaeso verbis] tum oculis, tum auribus, tum interrogationibus ac responsionibus emere festina. *Dixisse me aliquando poenituit, tacuisse numquam*⁵, ethnicus quidam de se ipso obtestatus est; *tacens et ipse est prudens* monet Sapiens⁶, *et qui vult... dies videre bonos, coerceat linguam suam*⁷ Apostolorum Princeps suadet.

e) Paucis, sed electis, consiliariis utatur Pastor, ac quoties de paroeciae rebus ac de fidelium emendatione agatur, a gravi prudentique viro tantum sententiam exquirat ipse. Si vero unus ad rem satis sit, duos ne sciscitetur, quod et a primordialibus prudentiae legibus, ad bonam subditorum tutandam opinionem, suadet. At de hoc diximus mox⁸.

104. — Ad discretionis vero peculiarem praxim quod attinet, tria quae sequuntur monita, prae oculis habeantur:

a) Verborum parcitatem ac silentium curiosis opponat Pastor, monente Scriptura: *sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato*⁹. Silentium prudentiae sanctuarium dixere Veteres, quod, veluti Sancta Sanctorum, prophanis haud patere decet. At garruli indiscretique qui [stultorum ad instar] verba multiplicantes, tam multis, liberis ac concitatis interrogationibus Pastores obsident, ut potiusquam homines, causarum cognitores dixeris, interdum habentur. — Alii vero eadem, sed diversimode, persequuntur, et, ut secretum pandas, *acie dissensionis, vel mordacitatis utuntur*¹⁰. Tunc [cum Psalmista recolendo, *posui ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me*¹¹] *alta*

¹ S. Greg. M. *loc. cit.*

² Sept. Sav. VII, 20.

³ Prov. XXV, 28.

⁴ Eccles. XXIII, 17.

⁵ Xenocrat. *Part. III.*

⁶ Eccles. XIX, 28.

⁷ I Petr. III, 10.

⁸ Cfr. indic. alphabetic. *Consilium*.

⁹ Eccles. V, 14.

¹⁰ Plutarcus, IV, 7.

¹¹ Psalm. XXXVIII, 2.

*custodia muniendum est os, ne lingua e duplici vallo dentium et labiorum evagetur*¹. Si vero loqueris adeo a propositis declina, ut de his quae ad rem non pertinent sermonem instituas: si, enim, secus egeris, indirectis saltem responsionibus, cogitata prodibis: *cum vulpe vulpinandum*². — Quum autem inopinatis obruere quaestionibus horum curiosorum sit, ne eorum in laqueos incidas, te ipsum adeo dominabis ut dum quae vera sunt ne prodis, quae falsa ne asseras. Quod si indiscreti instent homines, ad alium diverte sermonem ac longe divaga; si vero iterum instent, gestu, vultu, ac [si opus est] verbis quoque, eorum petulantiam refelle, ac [si potes] hos incurabiles sanare contende. *Cum stulto ne multum loquaris*³ Sapiens monet.

b) Animi probitatem callidis Pastor opponat; nam *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*⁴, et *magnae virtutis laus est simplicitas loquutionis*⁵, qua tantum horum calliditas ac versutia adeo in fugam vertuntur, ut [herinaceum imitati] caput, pedes caudamque raptim abscondant. Dum, igitur, per tempus licet, istos impurae mentis homines tam attente Pastor advigilet, ac eorum astutias ita ipse detegat ut quos ipsi Praeposito tendunt laqueos, se iam cognovisse norint. — Ad hos vitandos vero:

I) Haud semper per eandem incedere viam iuvabit, Scriptura dicente: *Sapiens non semper il uno gradu*⁶. Facile, enim, capietur avis quae eodem itinere volat; ac lusor prudens, expectatum, et eoque minus optatum ab adversario taxillum numquam ludit.

II) Haud pellucido Pastor sermone utatur; personis rebusque iustum tribuat pondus, plura subaudiat, et genuinum quo istorum dimidiata verba tendunt finem, sedulo inquireat.

III) Non ab amicis tantum, sed et ex inimicis utilitatem aliquam percipere Pastor studeat, quum, persaepe, quod illi adulando tegunt, isti carpendo ostendunt; quo, quamvis prima fronte perniciosiores, attamen adeo revera utiliores nobis extant ut qui animadversoribus caruerit infelix iudicetur.

c) Secretum ne simulet Pastor, quod habetur quum verbis mysterio plenis, sibyllinis cum gestibus, exclamationibus, reticentiis, ac interiectionibus quidam [ut negotiosi et aliquid magni videantur] mentis paupertatem ingenuis abdere contendunt. — Eoque minus ex eorum

¹ Plutarcus, loc. cit.

² S. Bernard., *De Ord. vitae*, Cap. 3.

³ *Eccles.* XIV, 14.

⁴ *Prov.* X, 9.

⁵ S. Gregorius Magn. *Moral.* Lib.

XXV, Cap. 8.

⁶ Seneca, *Epist.* 102.

Pastor sit numero qui, dum in parvipendendis rebus mysterio utuntur, e contra, in his quae magni facienda sunt, secreti pondus sustinere nequeunt. Ad ludicram, enim, reddendam auctoritatem nil magis aptum quam haec agendi ratio, qua negotiorum momentum ac pondus omnino inepte confunditur.

105. — Conclusionis instar praeclarum graecae Sapientiae monitum Pastori memoramus, scilicet: *non habeas linguam veri prodigam*¹. Ideo cum loquuturus es, numquam falsa dicas, sed nonnumquam vera reticeas, cum nec minus periculum ex mendacio, quam ex intempestiva veritate. *Habeatis, igitur, simplicitatem columbae ne cuiquam machinetis dolos, et astutiam serpentis ne aliorum supplantemini insidiis*². Silere, enim, saepe necessarium, mentiri vero numquam ac nemini licitum: *Spiritum Sanctus disciplinae effugiet fictum*³. Semper vero *ab ea quae dormiunt in sinu tuo, custodi claustra oris tui*⁴.

II) De suavitatis ac fortitudinis in pastoralis regimine unione.

§ II. — De hac unione generatim sumpta.

SUMMAE RERUM. — 106. De huius unionis pastoralis in regimine necessitate. — 107. Quae in re obstacula habeantur.

106. — Quae pastoralis in regimine generalis statuenda ratio sit sciscitantibus, illam eligendam esse quae pressius eam imitatur qua Deus mundum gubernat, Servator Noster cum Apostolis servavit, S. Iosephum Sanctam rexit Familiam, Angeli in hominibus utuntur curam, Romani Pontifices in Ecclesia servant, Sanctos Patres ac ecclesiasticos Scriptores una voce respondent. Quum vero [ut perspicue apparet] Deus ac coeteri omnes suavitatem ac constantiam copulandas suadeant, illa regiminis ratio quae hanc prosequitur, ab his omnibus qui [ut par est] ac Ecclesiae sancta calcare vestigia intendunt, sedulo statuenda colendaque est. — De caetero etsi haec suavitatis a fortitudine separatio liceret, nullo modo profecto deceret, quum [ut mox dicturi sumus] nil humanae condicioni magis consonum, atque ideo ad eius regimen utilius habeatur.

107. — At [heic quoque] haec in regimine suavitatis cum fortitudine unio, praesertim a Pastoribus adversatur, quorum superbia, inge-

¹ Euripid. VI.

² S. Hieron. *Epist. Ad Rustic.*

³ *Sapient.* I, 5.

⁴ *Michea* VII, 5.

nium, incompotus zelus, ac aetas, praevalida, interdum, ipsis obstacula opponunt. Enimvero:

a) Superbia adeo, interdum, quosdam exaltat incenditque ut humanae suae condicionis pene obliti ipsi videantur. Tunc *cum regiminis curam suscipiunt, ad feriendos subditos protinus inardescunt, terrorem potestatis exhibent, et quibus prodesse debuerant magis nocent, quia domini videri appetunt*¹. At de superbiae pastoralis in regimine effectibus satis superque diximus².

b) Ingenium atque susceptae institutionis modus, plurimum in re confert. Quam natura sortiti sumus indoles ac ingenium non tantum haud corriguntur, sed, erronea institutione, adeo in deterius mutantur ut eorum incommoda indesinenter augeantur, quo coeteris nobisque fere importabiles reddimur.

c) Zelus immoderatus, plurimorum in re obstaculorum causa est, cum ad fidelium ruinam [comparandam nil aptius haberi potest. Tunc quidam obsequium se praestare Deo putantes, adeo exardescunt, ut caritatem iustitiamque [et sub Divinae Gloriam specie] funditus pessumdent. *Irae, enim, suae stimulum iustitiam putant, et quum vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur*³.

d) Aetas ut nimis rigidi regiminis causa memoranda quoque est, quod iunioribus in Pastoribus facilius evenire consuevit. *Tunc, ipso die quo in praelatione constituitur, ita Praesidentis induit speciem, ita dominantis exprimit maiestatem, ut non nuper electum, sed natum dicas Abbatem. Fit repente severus in vultu, imperiosus in voce, ad corripiendum acerbus, ad iudicandum promptus... Pro suae voluntatis arbitrio haec praecipit fieri, illa contestatorie interdicit; ligat, solvit, admovet, removet, et in his omnibus nequaquam a senioribus consilium quaerit, sed, sibi ipsi sufficiens, velut propriae vetustatis iura disponit; devotis quidem et subditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem phalaricam spirat animadversione vindictam... Quam docte, quam imperiose novit cuncta, vult quadam maiestatis auctoritate praecipere qui diutissime subditus, numquam sapuit suis praeceptoribus obedire...*⁴. — At, interdum, senes quoque eandem agendi rationem insequi videmus, qui quo magis ad huius vitae peregrinationis finem appropinquantur, eo plus de villificatione Deo reddenda conturbantur, quo, levia gravia reputantes, severe

¹ S. Petr. Damian. in *Fer.* III.

² Cfr. indic. alphab., *Pastor, Superbia.*

³ S. Gregor. Magn. *Regula Pastoralis*, Part. III. Cap. 19.

⁴ S. Petr. Damian., *De Fuga dignit.* *Eccles.* Cap. 2.

nimis subditos regunt. — Sed [et hoc frequentius] ad nimiam benignitatem senes inclinare quotidiana experientia amplissime docet. Fractis, enim, viribus, dolorosa experientia doctiores prudentioresque effecti, ac humanae imbecillitatis conscii, quam difficile sit per huius vitae itinera secure incedere agnoscunt, ac fidelium corda mentesque percellere quam arduum sit haud ipsi ignorant. Quae mundi sunt fere fastidiunt ipsi, ac aeternae appropinquantes Patriae, eius dulcedinem in corde adeo praegustant, ut et in suo regimine nimiae, interdum, suavitati studeant, qua [plurima quam quod opus est dissimulari] oculos auresque ita claudunt ut, etsi admoniti, ea aperire refugiant. Quorum si regimen fidelibus prima fronte gratius extat, attamen reapse nocumenta affert, quae tum iuvenum, tum senum vitare est, illud iuxta effatum: *in medio tutissimus ibi*¹. *Sapientia, enim, aedificatur domus, et prudentia roboratur*².

§ III. — De rigidi nimis regiminis notis.

SUMMAE RERUM. — 108. Animadversiones praeviae. — 109. Quae nimis rigidi regiminis notae eiusque mores sint. — 110. Mala huic agendi rationis effectus recoluntur. — 111. Huius defectus remedia recensentur.

108. — Ut quae tum ex nimia rigiditate, tum ex suavitate nimia in regimine oriuntur scopuli a Pastore devitari possint, antequam de eorum remediis dicamus, prima indigitare praestat.

109. Rigidi nimis regiminis notae [P. Aquaviva duce³] his redeunt:

a) In se, sive quoad circumstantias, impossibilia iubere, quod sequentibus praesertim in adiunctis habetur, nimirum:

I) Si ad exequenda quae iniunguntur munia, nec tempus, nec reliqua concedantur media, quod sane ac crura cuidam amputare et deinde ambulationem iubere, vel saltem quemdam in compedibus mittere et deinde ad pallium sibi vincendum incitare, idem est.

II) Quum ordinationes [vera absque necessitate] multiplicentur, et *tam graviora, quam leviora eodem omnia exigantur ardore, immo aliquando leviora etiam maiore, eo quod consona sint peculiaribus quibusdam sensibus eius qui gubernat*⁴. At, humanam infirmitatem levare potiusquam obrui legibus debere omnes scimus; secus plurima utique

¹ In Proverbiis.

² *Prov.* XXIV, 3.

³ *Industriae ad curandos animi morbos*, loc. cit.

⁴ Aquaviva, *loc. cit.* Cap. 2.

scripta, at pauca observata haberentur. Quod rigidus nimis Pastor ignorat qui, *legis verba non recte intelligens, saluberrimum vini poculum, in veneni poculum vertit, ac per medicinae ferrum vulnere mortali ferit, dum per hoc sana perimit, per quod salubriter abscondere sauciata debuerat*¹. Enimvero accessoria in potissima commutare, consilia in praecepta vertere, et quae fere spernenda sunt in maximi momenti immutare adeo eius est, ut christianam observantiam importabilem Pastoribus efficiat. At haec agendi ratio nil aliud nisi vanitatem, inexperientiam, contradictionem, ac infirmitatem demonstrat.

III) Si quidquid illud sit quod fidelibus suadeatur, verbis asperioribus modoque despotico id fiat; quae agendi ratio quantum tum Pastoris auctoritati, tum quae animabus debetur reverentiae ac itati adversetur, nemo est qui non videat. Ut saepe diximus [at nunquam satis dictum] maternum pastoralis regiminis ingenium totum in eo est ut, caritate duce, paterne exercentur; quod idcirco, potiusquam imperio, iussis ac minis, ratione, suasionem ac amore habendum. Quum vero comprobata aliud suadeat necessitas, imperium adeo suavi temperandum est forma, ut, tum in quantitate, tum in iteratione ac tempore opportuno id quod satis tantum iubeatur, ac adeo iubeatur, aliquam acerbiter [quae semper in eo inest] haud tere subditi persentiant. Pastor, igitur, *silenter amando, et non clamoribus vociferando*², non leo rugiens, nec hyena esuriens in paroecia sit, sed suavis agni ad instar se habeat, quo, dum suae conscientiae debito satisfacit, et Sanctorum vere exempla imitabitur. Deus, enim, *magna cum reverentia disponit nos*³, ac Servator Noster, mitis ac humilis corde se profitendo, et suae divinae suavitate praecleara exempla ad imitandum nobis reliquit. Petrus [quamvis Apostolorum Princeps] lacrymis potiusquam verbis, primos fidei satores sciscitabatur; Gregorius vero noster [sapientia sanctitateque praeclearissimus] paternis supplicationibus fere semper utebatur. Quod et coeteri Sancti omnes in moribus habuere, qui quod iussibus praecipere poterant, precibus ac paternis obtinebant admonitionibus. Nec secus Romani Pontifices qui *servi servorum Dei* adeo humiliter se fatentur ut, potiusquam minis ac poenis, apostolicis monumentis peramanter utantur, quibus caritatis prudentiaeque laus quae illis debentur, magis magisque, in Ecclesiae bono, adaugent. — Nec iteret quis: talem habeo naturam: quia cum mala ineptaque sit, his praesertim qui coeteris praesunt, emendanda sedulo est. Quod si non omnia

¹ S. Gregorius Magnus, *Regula Pastoralis*, Part. III, Cap. 24.

² Id. *Ibid.*

³ *Sap.* XII, 18.

statim assequetur, attamen, sensim sine sensu, aliquantulum corrigetur, et quin minus, emendationis desiderium humilitatisque exemplum fidelibus praebetur.

IV) Si omnes fidelium excusationes, eos benigne inauditos, primo statim aspectu, reiciantur. Ut enim quosdam, qui, et antequam dixeris, nihil quam *Ita* respondent invenies, pari modo et qui quae dicis haud absolutis, indesinenter ac mechanica quadam ratione. *Non opponant adsunt. At in medio sermonum ne adicias loqui*¹, et *antequam loquaris discere*²: esto mansuetus ad audiendum verbum ut intelligas, et cum sapientia proferas responsum verum³. *Odibilis, enim, est qui procax ad loquendum*⁴, et *qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat ac confusione dignum*⁵. — At et alii interdum, habentur qui, pertinaciam cum prudentia ac sanctitate commutantes, ac infallibiles sese reputantes, ad illud quidquid dixeris vel feceris [novi Pilati ad instar] *quod scripsi scripsi* adeo indesinenter respondeant, ut [factis saltem] illud *sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas* ingeminare videantur. At Sapientiae monumenta sunt: *Praebete aures vos qui continetis multitudines, inclinate animam vestram, et vivet anima vestra*⁶; si, enim, *inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam*⁷. E contrario, *qui obturat aurem suam ne audiat infirmum, et ipse invocabil et non erit qui exaudiet*⁸.

V) Si quae conceduntur, vel negantur adeo mala ratione agantur, ut istorum *locutiones continui latratus*⁹ videantur et imptasse poeniteat. At *quod moesto, vel coacto animo defertur, ingratum est minimeque praeclearum*¹⁰, et *liberalis dabit cum voluptate*¹¹. *Hilarem, enim, datorem diligit Deus*¹²; quapropter *in omni dato, hilarem fac vultum tuum*¹³. — Et alii, interdum, adsunt qui quamvis dent, attamen adeo laboriose ac tarde concedunt, ut fidelium grati animi sensus amittant. At *errat si quis sperat responsurum sibi quem dilatione lassavit*¹⁴, et *ingratum est beneficium quod diu inter manus dantis haesit, quod quis aegre dimittere visus est*¹⁵. *Ne dicas, igitur, amico tuo: vade et revertere, cras tibi dabo, cum statim possis dare*¹⁶: vetus, enim, effa-

¹ *Ecclis.* II, 8.

² Id. XVIII, 19.

³ Id. V, 3.

⁴ Id. XX, 5.

⁵ *Prov.* XVIII, 13.

⁶ *Sap.* VI, 3.

⁷ *Ecclis.* VI, 34.

⁸ *Prov.* XXI, 13.

⁹ Vellelmus Paris. *De Morib.* Cap. 8.

¹⁰ Seneca, *Epist.* 8.

¹¹ Id. *Ibid.*

¹² II Corinth. IX, 7.

¹³ *Ecclis.* XXXV, 11.

¹⁴ Seneca, *loc. cit.*

¹⁵ Id. *Ibid.*

¹⁶ *Prov.* III, 28.